



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus XXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

cabilis fuit; proxima secundum Christum, D. Virgo MARIA: quia nec originali, nec actuali peccato, singulari prærogativa subjecta. 5. Caput est Christus, propter gubernationem Ecclesiæ; proxima secundum Christum, D. Virgo MARIA: à qua inmensa bona, continuò profluunt in Ecclesiã. Sic, humillimè demissa, altissimè elevari meruit: atque optimam partem, possidere. *Quicquid post Deum pulchrius*, Bonaven. in Speculo. *Quicquid dulce, quicquid jucundum in gloria est, hoc MARIA, hoc in Maria, hoc per MARIA Mest.* Sit ei, ac imprimis ejus filio, honor & gloria.



MODUS XXXVIII.

Non Syllogismo modo, sed & uno Enthymemate, integra constituitur Oratio: antecedente pariter & consequente propositione probata.

P R A X I S.

Dominica in Albis.

Stetit IESUS in medio & dixit: Pax vobis.

Joan. 20.

Accessus & Propositio. *O quam desiderabile nomen Pacis! quam religionis Christianæ, stabile fundamentum! & altaris Dominici, celestis ornatus!* inquit

inquit D. Severianus initio Ser. 5. sed quam cara & tam rara est, pax. Ecce verò illius obtinendæ, certum hodie medium edocetur; cum stetit JESUS in medio, & erit pax in mundo. Id præsentis sermonis monstrabo.

Confirmatio per Enthymema.

Antecedens. Bellorum causa, sunt peccata.

Consequens. Ergo ut sit pax, statuendus JESUS in medio.

Antecedens.

Pericula, mors, bella, peccati malus fætus sunt. peccato in cælis invento; factum est prælium magnum Apoc. 12. ambitione inter homines, malè ex- oriente, *Iustin.* *Ninus primus bella fecit.* Habet vita, Joannis Servi Dei Fernandium, virum nobilem; suscepta pro animarum conversione servi Dei opera, non satis benè interpretantem, secutum illum clam fuisse, cum Joannes, domum ei suspectam, subiret. Ecce verò, dum ante illam moratur; videt in fronte domus, omnia peccata sua descripta, sibi repræsentari; & gladium, vertici de cælo impendere. Admirabile, & terrificum miraculum; toti mundo, ea parte commune, quod peccatis gladius impendeat, de quo Ezech. 21. *Mucro, mucro evangelinate ad occidendum, lima te ut interficias, & fulgeas.* Quid ita? *Venit dies, in tempore iniquitatis, præfinita.* Anachoretapius, sollicitas Deo fundebat preces: cum à tergo ingens clamor infremuit. Bellum, bellum. Territo & admirantianachoretæ responsum ab humani generis hostibus. *Desine orare.*

orare

7-25

orare, & desinemus bellare. Licet æquissimo jure, id verborum immutemus: & toto orbi, audienda voce inclamemus. Desinite mortales peccare, & cessabunt bella bellare. Ceterum, *gladius devorabit vos*, inquit Dominus Isa. 1. v. 20. *si me, ad iracundiam provocaveritis.*

Consequens.

Quod si ita est, si pacem dari mundo, Si Regnis, si nobis cupimus, Christum necesse est, medium inter nos, & Deum offensum, statuamus. Causam D. Apostolus 1. ad Timot. c. 2. v. 6. quia est, *Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem, semetipsum pro nobis.* Hoc igitur in medio statuto, ac inter nos mediante: Deo reconciliari, & pacem licebit obtinere. Gen. 15. cū Abraham offerret Deo divisit oblationes per medium: *Et apparuit Clibanus fumans, & lampas ignis transiens, inter divisiones illas.* Mysterium, hac ratione, pacis cum Deo ineundæ à nobis, ut notat Cajet: hic agebatur: mediusque clibanus, & lampas Christum signabat: qui, in medio nostri constitutus, pacisceretur de nobis. Succedit aliud Num. 16. Occisus cælitus, propter seditionem, quatuordecim & septingentis, de populo Israel: dixit Moyses ad Aaron. *Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum de super pergeq, cito ad populum, ut ores pro eis.* Factum. *Stansq, Aaron, inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est & cessavit plaga.* Sapite Christiani, & dum bella, dum mortes læviunt: Aaronem meliorem, Pontificem vestrum Jesum Christum, placare contendite: ut dum steterit, inter vivos & mortuos cesset plaga, Ezech. nono.

Missis

Missis Angelis ultionis, in quorum manibus vasa
interitus: visus est vir unus, *in medio eorum*: qui
quemcunque signasset innocuus, intactusque du-
rabat. Vir hic juxta Gregor. 22. Moral. cap. 13. est
Christus. Hic in medio nostri stet necesse, & ma-
lis gladii, ac interitus non tangemur. *Filioli*, incla-
mat Joannes Epist. 1. cap. 2. *hac scribo vobis, ut non
peccetis: sed & si quis peccaverit, advocatum habemus
apud Patrem, Jesum Christum justum, & ipse est
propitiatio pro peccatis nostris, quod planè divinè ex-
plicans D. Ambros. lib. 1. de Isaac his rationem
mediatoris in Christo commendat. Ipse Christus,
ore suo felle & aceto potato, os nostrum est, per quod
Patri loquimur: corde suo, quod lancea transfixum
est, cor nostrum est, per quod Patrem amamus: oculi e-
jus sanguineis lacrymis fluentes, oculi nostri sunt, per
quos Patrem videmus: manus nostræ sunt, per quas
nos Patri offerimus: pedes ejus vulnerati, pedes nostri
sunt, per quos, ut filii prodigi redimus ad Patrem: ut
totus salvator, quantum est, & quicquid in eo est, nobis
patrocinetur. Habemus, cui fidamus mortales, ha-
bemus, quo mediatore in tot bellorum malis utamur.
Ab demus nostro bono, nostris minimum
malis coacti, medium Jesu locum! sit medius &
mediator, Sit medius inter nos, & Deum depre-
cando: sit quoq; medius, inter proximos, & proxi-
mos, charitatem mutuam fovendo: sit medius in
corde, illud possidendo. Sit medius in judiciis, ju-
stitiam prosequendo: sit medius in castris, virtutem
fovendo: sit medius in consiliis, retracta sugge-
rendo: sit medius in privatis domibus, innocentia,
necolarum, se oblectando; & eveniet, ut sit, *Pax vobis**

MODUS